DISSERTATIO PATHOLOGICA

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

ANTONIO DEIDIER

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Chymiæ Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

An una eademque res Præter naturam possit esse Morbus, Causa morbi & Symptoma.

Quam Deo favente & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano. Die mensis Martii, anno 1710. ab horâ octavâ ad meridianam, LAURENTIUS AUDON Martissensis apud Gallo-Provinciales, Artium, liberalium Magister & jamdudum Medicinæ Studiosus.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA Consequendâ.

MONSPELII,

Apud HONORATUM PECH, Regis & Universitatis Typographum.

M. DCC. X.

DISSERTATIO
PATHOLOGICA
DE
Morbo, Causâ morbi, & Symptomate.

QUÆ congruenter humanæ naturæ fiunt in homine, hæc ad Physiologiam, primam Medicinæ theoricæ partem, referuntur. Quæ verò contra & præter hominis naturam, scilicet morbus, causa morbi, & symptoma, spectant ad Pathologiam, quæ secunda Medicinæ theoricæ pars est. Per morbum intellige præternaturalem humani corporis modificationem, ex quâ, vel nullo, vel alio quàm par est modo perficiuntur ejus munia. Per causam morbi, quidquid morbum producit. Per symptoma, quidquid ab ipso morbo producitur, sive proximè sive remotè.

Morborum differentiæ ſtatuuntur, vel ex ipsâ morbi eſſentiâ, vel ex accidentibus. Hinc illæ, aut eſſentiales, aut accidentales. Si eſſentiales morborum differentias ex partium diverſitate deduxeris, vel triplicem ſtatues cum Antiquis morbum, ſimilarem, organicum, & communem; vel duntaxat duplicem ex Recentiorum placitis, organicum qui partes ſolidas ſeu vaſa infeſtat, & inorganicum, qui partes tentat liquidas ſeu humores. Sed cùm omnes corporis humani partes diſſimilares prorsùs ſint & organicæ, afficianturque in omni morbo & partes ſolidæ & liquidæ; relinquitur ut petantur eſſentiales morborum differentiæ, non ex diverſitate partium, ſed ex diverſo modo quo partes læduntur. Partes autem læduntur eſſentialiter vel penès temperiem, vel penès organiſationem. Ergo morbus eſſentialis duplex, in intemperie, & in organiſatione vitiatâ.

Vitiatur naturalis partium temperies modo duplici. Vel ſimpliciter, ut in Caliditate, in Frigiditate, in Humiditate, & in Siccitate. Vel compoſitè, ut in Caliditate ſimul & Humiditate, in Caliditate & Siccitate, in Frigiditate & Humiditate, ac in Frigiditate & Siccitate. Intemperies igitur, vel ſimplex, vel compoſita. Calida ſimplex obſervatur in febribus, frigida in Syncope, in Catharro humida, ſicca in Macie. Quatuor ſunt itidem morbi genera in compoſitâ intemperie. In calidâ & humidâ Peripneumonia eſt, Phthiſis in calidâ & ſiccâ, Ana-

farca in frigidâ & humidâ, in frigidâ verò & siccâ affectus ille qui dicitur Hypochondriacus. Nec sunt apud nos meræ qualitates caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas, ut statuebat Galenus cum Peripateticis, sed sunt ipsæ particulæ modis illis affectæ, ut sentiunt Recentiores.

Quatuor sunt ex quibus exurgit perfecta organisatio; congrua partium conformatio, debita magnitudo, certus numerus, & apta compositio. Hinc morbus organicus quadruplex, in conformatione, in magnitudine, numero, & compositione vitiatis. Tria verò concurrunt ad convenientem conformationem; figura congrua, conveniens meatus aut cavitas, & requisita asperitas vel lævitas. Et hinc profluxit triplex morbus in conformatione. In figurâ vitiatâ Rhachitis est, in meatu dilatato Hæmorrhagia, & in angustato obstructio quævis, in asperitate Raucedo, & Lienteria in lævitate. Morbus in magnitudine duplex. In magnitudine auctâ recensentur tumores, in imminutâ Atrophia. Est quoque duplex morbus in numero, scilicet excedente, aut deficiente, qualis est numerus digitorum, vel testium ac renum si non fuerint bini. Consurgit naturalis partium compositio, cùm hæ debito modo inter se copulantur, aut connectuntur. Unde duplex oritur morbus in compositione, in situ & in connexione vitiatis. In situ cùm partes sunt è suis locis dimotæ ut in luxationibus ossium,

in uteri aut ani prolapſu. Vitiatur verò connexio, dum quæ connecti oportuit disjunguntur, aut connectuntur quæ par erat disjungi. Priori vitio coaleſcunt lateraliter digiti, & palpebræ per ſuos margines. Vitio poſteriori accidit omnis ſolutio continui, quæ vel completa eſt ut in vulnere, vel incompleta ut in dolorificâ diſtenſione inteſtinorum à flatibus.

Si ſagaci mente quis exploret humorum particulas, is percipiet non minùs laborare humores morbis in intemperie ac in organiſatione, quàm partes ſolidas. De morbis in intemperie, planum eſt. De morbis in organiſatione, ſic demonſtratur. Et quidem in conformatione, 1°. Cùm partes aqueæ ac ſulphureæ, quas oportuit ex liquiditatis motu globoſam induiſſe figuram, præter naturam extenduntur, unde humorum congelatio, 2°. Cùm ita dilatantur aut coarctantur ſulphurum interſtitia, ut ſerum ſupernatet, nec miſceatur. 3°. Cùm humores redduntur acriores ideòque aſperiores, & tunc fiunt Alkalini ſales quorum ſuperficies ſcabra eſt, vel acidiores, tuncque fiunt ſales acidi quorum ſuperficies lævis eſt ac perpolita. Vitiantur quoque humores in magnitudine auctâ, ut in Plethorâ; & imminutâ, ut in macie. Quæris an in numero? Nonne quis ex humoribus interdum deficit, ut in cibi faſtidio & inappetentiâ ſaliva & fermentum ventriculi? Nonne interdum novi generantur ſucci, ut atrabilis, & pus? Humorum verò compoſitionem

vitiari probant, extravasatio in situ, in primâ connexione viscíditas, & eorum dissolutio in solutâ unitate.

Morbus ille audiebat communis apud Majores, qui simul afficiebat & partes similares & organicas, ut solutio continui. Sed jam exolevit apud Recentiores ea morbi communis acceptio; & nova inolescit, quâ morbus dicitur communis sive compositus cùm simul vitiatur corpus & penès temperiem & penès organisationem. Exempla requiris? Cùm pes aut pedis digitus frigore gelatur, is laborat simul intemperie frigidâ, & à coagulatis humoribus obstruuntur in eo meatus. In omni tumore læditur magnitudo partis, ejusque temperies; hæc enim est calidior & humidior in Phlegmone ac Erysipelate, frigidior & siccior in Scirrho, & in Oedemate frigidior ac humidior. Exsectos testiculis vulgò sequitur frigidior temperies, animus eos deficit, virile robur, & virilis vox; ergò conjungitur in his cum numero deficiente intemperies. Eadem cum læsâ compositione jungitur, dum comburitur quævis pars.

Ex traditis essentialibus morborum differentiis planum est, unum eundemque morbum, si variis consideretur modis, ad varias morbi species referri posse; modò ad intemperiem, modò ad organisationem vitiatam, modò ad utramque. Peripneumonia, febris & inflammationis ergò, est morbus in intemperie calidâ & humidâ; infartûs pulmonum ratione,

morbus est organicus in obstructione meatuum; est morbus communis, ob febrem simul & infartum. Hinc præscribuntur ad curandam Peripneumoniam venæ sectiones, ut nimia compescatur in humoribus fermentatio, ut sanguis fluat per pulmones liberiùs; refrigerantia, ut mitigetur febris; Bechica vel Sudorifica, quibus promoveantur sputa, tollanturque ideò bronchiorum obstructiones; Purgantia demùm, ut serum, quo pulmones infarciuntur, ulteriùs diluatur, abripiatur cum transvecto sanguine, per secessum evacuetur.

Jam de accidentalibus morborum differentiis dispiciendum. Hæ desumuntur ab accidentibus, quæ vel morborum essentiam concomitantur, vel causas. Prioris sunt generis, morbus simplex, ut solutio continui quæ solam partium solutarum postulat unionem; vel propriè compositus, ut intemperies biliosa; vel complicatus, qui plures simul morbos complectitur, exposcitque varias indicationes. Isque vulgò in tria genera scinditur, in separatos, implicitos, & connexos seu consequentes. Separati, varii sunt & diversas simul obsident partes, ut, si dum afficitur manus ulcere, pes vulnere læditur, & brachium luxatione. Impliciti, qui quidem diversi sunt, sed eidem insunt parti, ut cùm idem oculus ulcere laborat & inflammatione. Connexi, qui se ita consequuntur ut unius causa sit alterius, sic in Peripneumoniâ pulmonum inflammatio febrem accersit, vel

febris

febris inflammationem. Morbus ille dicitur primus, qui primò invadit. Secundus, qui priori succedit. Si tumor successerit inflicto vulneri, vulnus erit primus morbus, tumor verò secundus erit.

Item morbus est parvus aut magnus. Hanc autem pete differentiam ex triplici capite. Ex partis dignitate, v. g. solutio levis in digito est morbus parvus, in corde ac cerebro magnus; ex propriâ morbi essentiâ, sic Valgi, Claudi, Gibbosi, Coclites morbo laborant parvo, Phthisici, Hydropici, Epileptici magno; ex symptomatis, ita punctura tendinis est morbus magnus, sectio parvus. Morbus est benignus seu mitis, aut malignus. Mitis, ut febris Ephemera & excedens digitorum testiumque numerus. Malignus est qui sæviora infert symptomata quàm morbi ratio postulare videtur; isque venenatus est, pestilens, contagiosus. Venenatus, quem venenum inducit, ut viperæ morsus & punctura scorpionis, arsenicum propinatum, imò & venenum intra corpus genitum sicut in Cholerâ morbo. Pestilens, qui grassatur ita ut eo plures jugulentur quàm convalescant, sicut in Pestilentiâ. Et Contagiosus, qui alios inficit per effluvia virulenta ab ægro corpore exhalantia, ut Phthisis pulmonaris, ut Lues venerea. Nec tamen omnis contagiosus, malignus est, ut Scabies & Ophthalmia. Ad hæc, morbus dicitur longus aut brevis. Longus cum periculo, is vulgò

Chronicus, ut Phthisis, Cancer, Hydrops; qui citra periculum, vulgò diuturnus audit, ut Quartana febris. Brevis autem est, idque simpliciter, qui citò citra periculum sua percurrit tempora, ut febris Ephemera; Acutus verò, qui periculosè, ut Syncope, ut febris ardens, ut Angina, ut Cholera morbus. Morbus quoque dicitur salutaris, ex quo firmior exsurgit valetudo, ut prima mensium eruptio in virginibus, & febris lactea in puerperis. Lethalis, quo plerùmque tolluntur ægri, ut Apoplexia fortis. Periculosus, cujus exitus dubius est, ut Peripneumonia, ut febris ardens. Insuper, morbus dicitur continuus, ut quædam febres, ut tumores; vel intermittens seu periodicus, ut Epilepsia, Catalepsis, Podagra; & ex his qui recurrunt sine ordine, dicuntur Erratici. Dehinc, morbus est universalis, qui totum corpus obsidet, ut Anasarca; vel particularis, qui unicam duntaxat afficit corporis partem, ut Ascites. Postremò internus, qui partes internas lædit; externus, qui externas.

Ratione accidentium, quæ morborum causas comitantur, constituuntur aliæ morborum differentiæ. Idiopathicus nuncupatur morbus, qui parti afflictæ unà cum causâ inexistit, ut inflammatio hepatis à bile; sympathicus, cùm alia, quàm quæ afflicta est pars, in afflictæ consensum trahitur. Consensus autem fit aut ob viciniam, ut dùm affecto ventriculo convellitur diaphragma in singultum; aut propter con-

nexionem, ut cùm ex affecto nervo cerebrum afficitur; aut propter generis ſimilitudinem, ut cùm nervus nervo compatitur, oculus oculo; aut ob ſocietatem officii, & ſic affectis renibus ureteres & veſica laborant; aut propter ſitum, ut cùm Hydrocele Aſcitidi ſupervenit. Deuteropaticus verò morbus is eſt, qui ſuccedit ex alio, ut phthiſis quæ ſuccedit Hæmoptiſi. Sympathicus ac Deuteropaticus procedunt ab aliis morbis; hic ſuccedit, ille jungitur.

Morbus etiam eſt hæreditarius, congenitus, adventitius. Hæreditarius, qui à parentibus in prolem propagatur, ut cùm Phthiſicus generat Phthiſicum, Podagricus Podagricum, & Epilepticum Epilepticus. Congenitus, quocum quis in lucem editur, ut à natalibus ſurditas ex quâ dehinc mutus. Surditas verò quæ adoleſcenti ſupervenit, morbus eſt adventitius, nec mutum facit. Prætereà, morbus dicitur verus & legitimus, aut ſpurius; v. g. Pleuritis, quæ fit ex ipſius pleuræ inflammatione, legitima ſeu vera eſt; ſin dolor lateris ex inflammatione muſculorum pectoris ortum ducat, Pleuritidis ſpuriæ ſortitur nomen. Morbi dicuntur Sporadici, cùm varii & ex eâdem causâ in plures ejuſdem regionis ſparguntur, ut cùm ab inſigni quâdam aëris mutatione Ophthalmiâ laborat hic, ille Pleuritide, alius Podagrâ, alius alvi profluvio; Endemii, quaſi vernaculi & genti cuidam familiares, qui ex tractûs ingenio plures ejuſdem regionis homines com-

muniter tentant, ut Plica Polonos, Hiſpanos Strumæ, Scorbutus Septentrionales; Epidemici, qui citra gentis aut plagæ peculiaris diſtinctionem in vulgus ſæviunt, ut febres malignæ, peſtilentes, peſtis ipſa, variolæ, morbilli.

Quadruplex à Practicis ſpectatur morbi tempus, principium, augmentum, ſtatus, & declinatio; tum & periodus, paroxyſmus, acceſſio, exacerbatio, typus, remiſſio, intervallum, recidiva; quæ ſatis per ſe nota. Criſis ſeu judicium definitur ab Antiquis, ſubita ac repentina morbi mutatio ex ſpontaneâ quâdam evacuatione. Ea vel eſt ſalutaris, vel mortifera, dicitur perfecta, cùm ægrum integrè liberat; imperfecta cùm imperfectè. De diebus criticis altum apud Recentiores ſilentium, cùm hi dies non ampliùs obſerventur in praxi. Naturam ſuo genio permittebant Majores, quippe nihil moventes dum concoquerentur humores pravi. Maluerunt verò Recentiores opitulari fatiſcenti naturæ, & Cathartica quovis morbi tempore præſcribere, cùm eâ tamen cautione; ut priùs compeſcantur furentes humorum motus, ſi per ægrotantis vires & naturam morbi licuerit. Tutiùs eſt ac præſtabiliùs mox graſſatorem è ſedibus, cùm vires ſuppetunt, exturbare, quàm exſpectare dum juguler, aut ſponte poſt deprædationem dilabatur.

Jam pauca & duntaxat neceſſaria de morborum cauſis. Hæ ſpectantur vel ratione Diagnôſis, vel effectuum ratione. Priori reſpectu,

causa vel evidens est, vel abdita. Evidens, quæ per se dignoscitur; abdita & latens quæ signis indagatur. Posteriori ratione, est proxima, vel remota. Pone vulnus inflictum lapide. Ipse lapis erit causa vulneris evidens, tum & effectûs ratione causa erit proxima; lapis idem erit causa remota febris, si hæc supervenerit, cùm febris causa proxima sint extravasati ac fermentescentes in parte vulneratâ humores; iidemque sunt latens ejusdem febris causa, quippe non nisi ex superveniente tumore innotescit humorum extravasatio. Rursùs causæ evidentes distinguuntur in necessarias sine quibus ne quidem possumus vivere, & contingentes, quæ non nisi casu nos afficiunt. Priores petuntur ex abusu sex rerum non-naturalium, quæ sunt aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, excreta & retenta, atque animi pathemata seu perturbationes. Contingentes verò ac fortuitæ, sunt veluti corporis prolapsus, impactus lapis, occursus belluæ, gladius adactus, punctura scorpionis. Quæris exemplum causæ latentis? En, habes in calculo renum aut vesicæ, quem non nisi ex signorum syndrome habebis exploratum. Utrumque antecedit lotium arenosum; sequitur urinæ suppressio, distinguit vesicæ calculum stillicidium urinæ cum dolore in regione pubis, & calculum renis dolores nephritici ac testis retractio; erit quoque conjectura calculi, damnosa parentum hæreditas.

Triplex symptomatum genus Galenus statuit,

symptoma morbi, symptoma causæ, & symptoma symptomatis. In vulnere sanguinis effusio & humorum extravasatio sunt morbi symptomata, quippe vulnus sequuntur proximè; dolor vulneri superveniens, est symptoma causæ, etenim causa vulnus infligens fibrillas nerveas lædit & succutit; ex intenso dolore & extravasatione quæ inducuntur deliria, febres, convulsiones, sunt symptomata symptomatis. Nullus datur morbus quin proprio stipetur symptomate, sed non adest perpetuò symptoma symptomatis, nec symptoma causæ.

Specialiùs dividuntur symptomata in actionum læsiones, excrementorum vitia, & qualitates mutatas. Functiones animales abolentur in Apoplexiâ, in Catalepsi, in Epilepsiâ; fiunt præter naturæ modum in doloribus, deliriis, in morbis convulsivis. Vitales, abolentur in syncope, & passione hystericâ; erroneæ sunt in palpitatione cordis, in tussi, singultu, febribusque. Abolentur naturales, in inappetentiâ, & cibi fastidio; depravantur in fame quæ dicitur caninâ, in picâ, malaciâ.

Peccant excreta modo quintuplici. Penès substantiam, vel cùm toto sunt genere præter naturam, ut cùm pus, vermes, calculi excernuntur; vel cùm in naturali substantiâ excernuntur quæ non debebant excerni, ut chylus aut alimenta non cocta in Lienteriâ & Cœliacâ passione. Quantitatis ergò, illiusque excedentis, ut in alvi profluviis, in Diabete; deficien-

tis verò, ut in alvo ſtrictâ, in menſium ſuppreſſione. Ratione qualitatis, ut cùm fæces egeruntur molliores, aut liquidiores; cùm urina redditur craſſa, rubicunda, nigra; cùm ſalſior eſt aut fœtida perſpiratio. In excernendi modo, ut cùm fiunt excretiones per vias non aſſuetas, idque videtur in vomitu ſimplici, in Cholerâ morbo, & paſſione Iliacâ; & ſimiliter excernuntur interdum lochia per anum, rejiciuntur urina & catamenia per vomitum, per ſputa, & abeunt in ſudorem. In excretionis tempore, prout citiùs aut tardiùs erumpunt, ut in longiori aut breviori menſtruorum periodo, in alvo ſtrictiore aut laxiore.

Qualitates excretorum mutatas dicebant Antiqui, cùm hæ præter naturæ modum ſenſibus apparebant. Ergò qualitatum immutatarum ſpecies quinque. Prima refertur ad viſum, ut color flavus totius corporis in Ictero, intenſior linguæ rubedo in febre ardente, nigredo in malignâ. Ad auditum refertur altera, ut crepitus frequentiores, tinnitus aurium, ſtertor & ſibilus in Aſthmate, & in Colicâ flatulentâ murmura, flatus, borborygmi. Ad odoratum tertia, ut teter odor in Scorbuto, in Carcinomate, in ulceribus virulentis. Quarta guſtûs eſt judicii, ut ructus acidi & nidoroſi, ſapor amarus. Quinta demum ſpecies tactui ſubjicitur, ut in Cauſo cutis & linguæ ſiccitas & aſperitas, mollities aut durities in tumoribus, præternaturalis abdominis tenſio.

Qualitates mutatæ dicuntur symptomata prout à morbo pendent, suntque morbi cùm lædunt actionem. Qui dicuntur morbi à Practicis, sunt plerumque apud Pathologicos vera symptomata; unusque morbus est sæpè numero causa morbi alterius. Et causa est non rarò vel morbus, vel symptoma.

ERGO.

Una eademque res præter naturam, est Morbus, Causa morbi, & Symptoma.

